





~~11-58~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-58

SIGNAT. clvccccxiii.



GENIUS

Magnorum Statûs Ministrorum,  
Præpotentum Gratosorum,

&

Confiliariorum,

Ex

JOH. BARCLAI Icone,

& JUSTI LIPSI Politicis,

præfiguratus;

*Charactère Oratorio & Poëtico,*

ab

VIII. Adolescentibus & VIII. Pueris,

Proprie Kal. Xbres

*A.C. 1691 XLVI.*

*in Gymnasio Vratislaviens. Elisabetano*

*exponendus;*

Moderatore


CHRISTOPHORO COLERO

Historiarum Professore.

---

*Ibidem, exprimente BAUMANNO.*





Lectori civilium rerum prudentissimo S. D.

**N**on te fugit, Cordatissime Lector, quod superiore Majoram senescentis Anni Principem Bonum & Malum, non quidem ex meo ingenio, cum ambitiosum & simul periculosum sit, sed ex veterum scriptorum, ac iis comparabilium nostrorum characteristicâ notâ deformatum, tibi exhibuerim. Nunc ex naturâ rei & rectâ ordinis viâ sequi debet adumbratus Prepotentum Statûs Ministrorum, Amicorum intimæ admissionis, & Consiliariorum Characterismus: qualem itidem non ex meo cerebro natum & concinnatum, sed ex Barclaii, Lipsii, Hippolyti & Collibus & aliorum robustissimorum, ut ita dicam, Politici Atlantis Alcidarum, Picturis Loquentibus & Characterismis Politicis, expressum representabo. Voti certè humani magis, quam certæ & indubiæ expectationis res est, ut Principis unius, quamvis aquilino ingenio & judicio sit, prudentia, oculus ille in sceptro, omnia suâ acie videat, & captu complectatur. Nam cum inter privatos omnis ratio & institutio vitæ, adjuncta hominum desideret: quanto magis gubernatoria illa virtus: in quâ certum est Principem suâ scientiâ non posse cuncta complecti: nec unius mentem tantæ molis capacem: quam nec Atlas ipse sine Hercule sustineat. Qualis poëtarum ille Cyclops amisso oculo: talis Princeps, cui abest hoc lumen frontis. Quis navim mihi dirigat, sine ferro quod affricuit Siderites? sic nemo rempublicam sine mente quam afflavit illa Diva, ut scitè & peritè, more suo, disferit Iscanius Sapiens. Cum in tantâ negotiorum varietate & perplexitate prudentia, imperantis propria & unica virtus, paginam utramq; facere minimè possit; quod plerisq; Principibus, si-  
ve atatis

Tacit. l. 3.

A. c. 69.

l. 1. An. c.

II.

Lips. l. 3.

Polit. c. 1.

init.



sive ætatis, institutionis, aut ipsius nature vitio, prima illa animi ingeniiq; fors negata sit, nec oculus, ut vulgi verbum est, unus omnia videat, una auris omnia audiat, sed plures oculi & aures: Princeps sapiens ipse, sapientum commercio confirmatior, adsumat in partem curarum, Optimates, ut Barclajus, vel, ut alii magnates; potentes Amicos, uti veteri primorum Principum Romanorum, audiebant, vel Ministros Status, ut eos Idoli Principalis Hierophantæ, Statistæ cognomento hodie; alii deniq; Consiliarios, ut Lipsius, Hippolytus Collinus, & pleriq; Politicorum nuncupant. Reges verò & Principes magni, qui norunt Deo se ut proximos esse, ita similimos fieri debere, non ignorant magna negotia magnis adiutoribus egere: gra-Vellej. 1. visimosq; Principis labores, queis orbem terræ capessit, 2. c. 127. egere adminiculis. Ejusmodi itaq; adiutoribus cum sit peropus, regia principalis prudentia caput censeas cum Lipsio, adsumere prud- lib. 3. Pol. dentes, viros celebres & sapientes, sanè in domo Principis apprimè uti- c. 3. les & decóros. Didicerat enim Belgicus ille Seneca ex Attico sibi fa- Plin. Pan. miliarissimo juxta Tacitum & Senecam Oratore; præcipuum c. 85. Principis opus esse amicos parare; cum nullum majus bo- Tacit. 4. ni imperii instrumentum sit quàm boni amici: qui sepositis Hist. c. 7. exercitibus, atq; thesauris vera regni præsidia invicta, & munimenta sceptrorum sunt inexpugnabilia. Sed in parandis illis patriæ necessariis adminiculis & retinaculis res est, judice Lipsio, maximè judicii, & simul industria. Quod ut consultò fiat, optandum, ut Princeps talis sit, quales Ministrorum suorum delectus facere, & ipsi, & patriæ interest. Vidit id sagaciter, & seriò monuit Philippus Cornineus prudentiæ & judicii acrimoniâ nulli veterum secundus: Nullum majus indicium, ait, bonæ mentis Princeps potest ostendere, quàm ut adjungat sibi & familiariter utatur Viros virtute & famâ celebres. Nam omnes statim judicabunt eum talem esse, quales ii apud illum. Principes certè & Domini Orientis olim & hodiè à pueris suos in futurum idoneos & aptos rerum suarum ministros, pacis & belli artibus præformarunt & prepararunt, non irritò, ut postea in eventu actorum apparet, successu. Apud Macedones





lib. 8. c. 6. cedones populo regio quæ servatum, Q. Curtii verbis dicamus. Is enim ita prodidit: Mos erat Principibus Macedonum, adultos liberos regibus tradere, ad omnia haud multum servilibus ministeriis abhorrentia. Excubabant servatis noctium vicibus proximi foribus ejus adis in quâ rex acquiescebat. In ætos ab agasonibus equos, cum rex ascensurus esset, admovebant: comitabanturq; & venantem, & in præliis, omnibus artibus studiorum liberalium exculti. Præcipuus honos habebatur, quod licebat sedentibus vesci cum rege. Castigandi eos verberibus, nullius potestas præter ipsum erat. Hac cohors, velut Seminarium Ducum Præfectorumq; apud Macedonas fuit. Hinc habuere posteri reges, quorum stirpi post multas ætates Romani opes ademerunt. Hac Curtius. Quanquam hic variant auctores: quippe

l. 3. c. 3. ex Val. Maximus tradit vetusto Macedoniae regi Alexandro nobilissimos pueros præstosuisse: sed præter Arrianum Aelianus in varia historia, Philippum, clarissimorum in Macedonia hominum liberis assumtis, sui curam ministeriumq; ipsis imposuisse: non per injuriam aut contemptum, sed ut patientes eos laborum, & ad ea quæ fieri opus esset peragenda, promptos atq; paratos redderet. Idem Lipsio nostro iudice probus & legitimus, si quisquam, Historicus, ejus instituti meminit: Idem Amyntas adduxerat L. principum Macedoniae liberos adultos ad custodiam corporis: quippe inter epulas hi sunt regis ministri: iidemq; equos ineunti prælium admovent, venantemq; comitantur, & vigiliarum vices ante cubiculi fores servant: magnorumq; præfectorum & ducum incrementa sunt & rudimenta. Hac ille. Credo etiam ex more & disciplinâ Macedonum antiquâ pro manasse, quod inter comites Imperatoris ac Magistratum erant honestiores multi, imò Senatorum filii, & tale nobiliorum genus, qui amicitia causâ, aut militiæ, sponte eos secuti. Hi è contubernio Prætoris, aut Contubernales ejus dicebantur, quoniam eadem cum ipso pedaturâ tendebant. Et sanè utilitas hic clara, quod juvenis castè modestèq; agebat, sub oculis & in latere Ducis: quod sermonibus militaribus, & interdum consiliis

l. 5. Mil. intererat: deniq; Duces agere, ut Plinius admonet, parendo disceret: Rom. uti de eo prolixè Lipsius, & ex eo contractè Thales olim noster immortalis.



tali prædicatione dignissimus Matthias Berneggerus disserunt. *Quibus addendi sunt Duumviri hi Itali, Carolus Sigonius, & Scipio A-* Diatri-  
*miratus; atq; Trigæ constituenda causâ, si cum gratiâ Cisalpina gen-* ba. ad  
*tis fieri possit, Johannes Freinshemius, mihi non tam ob præclara ia-* Ces. Suet.  
*rem civilis hujus literatura, & antiquæ eruditionis merita, quàm eti-* c. 2. § 1.  
*am ob pacta olim cum ipso Argentorati in Contubernio Berneggeriano* l. 2. de  
*amicitiæ & necessitudinis jura, publicis & privatis nominibus appri-* art. jur-  
*mè observatus & charus: adeò ut doleam, quod inter spolia belli hoc ma-* provinc.  
*ximè opimum Freinshemii ingenium Arctoo Orbi cesit. Sed ut ad* c. 2.  
*calidas formandorum ingeniorum in Oriente Officinas revertar, po-* Disfert.  
*tentissimus Turcarum Princeps à pueritiâ instituit, pacis aut belli in* in Tac. l.  
*eventum utriuslibet expeditos ministros. Imperiales etiam Ger-* 2. disc. 10  
*manorum Principes Alumnos quosdam nobiles & liberales, ( quos Pa-* Not. ad  
*fos Gallicâ voce hodiè vocant ) suo sumtu educant, in eundem secutura* Curt. al-  
*dexteritatis & promptitudinis usum. Imitentur Principes alii, quo-* leg. loca,  
*rum vires & nervi ferunt, & regia ac egregia quadam ingenia, à ce-*  
*teris proletariis & protritit segregata, peculiari curâ à teneris forma-*  
*ri & produci curent ad immensam imperii molem sustentandam. Eò*  
*quidam prudentiores digitum intendisse videntur, qui LUDOVICO*  
*Duci Würtembergico Evergetæ studiorum & ingeniorum maximo, su-*  
*periori pacatiore seculo, auctores et suasores fuerunt, ut, Tubingæ illustre*  
*illud Würtembergiacum Palladium, quod vulgò Illustre Col-*  
*legium indigitarunt, magnificis & propè regis sumtibus erigeret:*  
*ex quo tot Illustres Arte & Marte heroes, quot vel ex equo Trojano Gra-*  
*corum, prodierunt. Sapientissimus Regum nostrâ etate JACOBUS*  
*simile quoddam in Angliâ Equestri Ordini ( ad quem in eo Insulano*  
*regno non ad vulgum hæ bona mentis divitiæ & delicia spectant ) in-*  
*stituit. Cujus Affinis sui institutum cum Serenissimus CHRISTIA-*  
*NUS IV. Rex Dania oculatus inspector mirificè probaret, Academi-*  
*am Soranam Ordini Equestri cum multis privilegiis immunitatibus,*  
*& prærogativis munitam aperuit. Hisce diebus ex Belgio mihi nun-*  
*ciatum est, Principem Auraicum ex castris in hiberna reversurum.*  
*Bredæ, qua ipsius dominio paret, Auraicum quoddam Athenæum aen-*



do Principum Juventutis aliquoto Seminario, delectis VI. Professo-  
ribus excellentioribus, erecturum & solemniter ritu dedicaturum esse: de  
quo, cum jam non plus compertum habeam, nolim aliquid ante Sole-  
mnia Dedicationis publicæ præcipere. Præter Officinas verò hasce  
Theoreticas, quas Scholas Aulicas appellare licet, si in Practicâ quâ-  
dam rerum civilium & militarium, quam Aulam dixerim, ejusmodi  
Imperii sustentandi adjutores ab adultis adolescentiæ annis prepara-  
rentur, sanè non cum contemnenda Principum & publici Statûs com-  
modo futurum esset. Id quod obvio Guilielmi Principis Aurai-  
ci exemplo facile demonstravero. Hunc à Patre ipsi cognomine Caro-  
lus V. Imp. adhuc impuberem abduxit, Reginaq; Hungarorum Maria  
sorori tradidit. Mox idem exactissimus ingeniorum indagator &  
censor, ubi per ætatem licuit, eundem inter ephebos Imperatorii cubi-  
culi adscivit: quo in munere delectatus indole dicitur ac solertiâ pue-  
ri Caesar, quod ad modestiam compositus, neq; vanè ostentaret Principi  
obsequium, neq; occasionem ullam prætermitteret obsequendi: idq; se-  
dulò ageret, ut gratiæ oportunior, quàm promptior haberetur. E cu-  
biculo, in quo annos fermè novem versatus est, transtulit illum Caesar  
ad militiam, universq; præfecit Belgico equitatu. Exinde in pace  
æquè ac bello, ad honestissimas quasq; legationes semper adhibitum, pri-  
mos inter Procures, summo loco Caesar habuit. Hæc Famianus Stra-  
da Acignius seposito partium studio candidè et fideliter de tanto Prin-  
cipe scripsit. Cujus florentissimi sanè Historici nativam Venerem cur  
aculeata brevi edenda quadam Stricturâ Gaspar Scioppius Vir  
summæ alioquin eruditionis, sed obtræctator alienæ laudis famosissimus,  
perstringat, non mirum est, quod ipsi Regi Jacobo, nec Triumviris illis  
Reip. literariæ prioribus, Scaligero, Lipsio, Casaubono; ac nu-  
per ipsi Herculano Acignianorum Ordini virulentis criminati-  
onibus insultaverit & occentârit. Ibburanem Nobilem Florenti-  
num Barclajus in divinâ Argenide suâ commendat, quod inter nego-  
cia e ductus letum animum rebusq; maturum disciplinis ac solertiâ im-  
pleverit, & Musarum commercia a primis annis amaverit, unde etiam  
postea in altissimo honorum mundanorum culmine constitutus Divas  
illas

Fam.  
Strad. de  
Bell. Bel-  
gic. lib. 2.

lib. 1.



illas amenas in secretum admiserit, retuleritq; deinde amanissimo ingenio, quæ illæ dixerint. Idem Regius planè & augustus Aularum Scriptor de Nicopompo, sub quo alii ipsum Barclajum, alii Thuanum intelligunt, hæc notabiliter annotavit: Vir erat literarum à puero amans: sed qui solis in libris herere contempserat. Adolescens reliquerat magistros, ut in Regum ac Principum aulis, tanquam in verâ & liberali Scholâ, tirocinium poneret publicæ lucis. Ita pari ubiq; Musarum & negotiorum studio crevit; genere quoq; ac moribus ad ejusmodi eum vitam ferentibus; & multis principum charus, ac in primis Meleandro fuit. Nec aliâ de causâ, quam pragmatica prudentia ergo Divus CAROLUS II. Dux Munsterbergicus, ( exemplum etiam patris sui CAROLI CHRISTOPHORI secutus, qui in Augusti Imp. Cas. FERDINANDI I. aulâ aliquandiu vixit ) tum Princeps juventutis quindecennis, consilio patris sui JOACHIMI Episcopi Brandenburgici, cum nonnullis selectis pueris & studiorum Præfecto, triennium in eadem aulâ commoratus, & à Divi Ferdinandi excessu in MAXIMILIANI II. Regia Augustâ per integrum sexennium vixit, ubi in publicis Imperii & Hungariæ Comitibus ac Diætiis, ut & domesticis Arcanis, inter mera Imperii negotia enutritus & excoctus, postea ad Reip. patriæ gubernacula ademtus, tam domi in propriâ ditionum suarum rector, & gestâ totius provinciæ, nomine regio, Supremâ Præfecturâ, quàm foris in obitis nonnullis Cæsaris & Statuum nomine Legationibus, insignia comparata prudentiæ documenta edidit. Quemadmodum autem judicio & delectu, quæ summum & Principem & Virum requirunt, opus est, in parandis Reip. sustinende adjutoribus: ita quoq; patrii judicio opus est in præscribendo eligendi illos modo. Quod si Principi alicui rectum à natura, vel usu & exercitatione contigit, quàm salutaris ille & bono publico natus! Sed quia ejusmodi præstantiæ, vel potius divinitatis fors plerisq; negata est, consulamus directores & adminiculatores, generis humani præceptores. Ne itaq; tenuis ingenii mei cymba in vastissimo hoc Politicæ & Aulicæ Sapientiæ pelago abrepta ludibrium ventis, phrasi Horatianâ, debeat, gubernatore usi dexterissimo Gabriele Naudæo, Gallico magni nominis prælato, & Eminentissimi



mentissimi Cardinalis Mazarini Bibliothecario, ( cui jam à no-  
va & selecta Bibliotheca struenda consiliis est ) ut cursum teneamus  
eundem, è re nostra erit. Is enim in sua Bibliographia Politica, Ja-  
cobo Gafarello suo, cujus honori & usui Libellum inscripsit, innu-  
meros auctores, ( addito de singulis suo iudicio, ) nostris in oris ignotos  
planè, & ideò inestimabiles uniones & gemmas, promit, quorum doctri-  
nis informetur, quomodo optimus & sapientissimus Princeps, Mini-  
stros officiorum suorum dignitate, vice ac morum integritate, rerumq;  
intelligentiâ pares, eligere debeat. Nam Hercules illi Politici, qui cum  
Atlante suo, si non totius mundi, at vastissimorum regnorum pondus  
lib. 3. c. 3. humeris suis sustinere debent. Etsi verò Lipsius Adjuutores imperio-  
rum faciat duùm generum, Consiliarios nimirum, qui lingua &  
mente in primis juvant: & Administros, qui manu & factis: ta-  
men nos more seculi recepto, speciatim ad ductum partim Barclaji Au-  
lici nostri Ephori, partim pro captu nostro, divisimus omnem Pruden-  
tia mutuatiæ sectam & domum, in Magnos Statûs Ministros, Præ-  
potentes Amicos seu Gratosos, Consiliarios, & Aula Servos: de qui-  
bus omnibus, exceptis Aula Servis, ( quos in aliam occasionem suspen-  
dimus ) in presenti breviter agendum erit. Dignissimi ac Eminen-  
tissimi omnium sunt Ministri Statûs, ( quibus Idolum illud Principum  
adorabile & abominabile, quod Statistæ patroni ejus Rationem  
Statûs, interdum rationabilem, sæpius Irrationabilem, vocant, &  
Arcana Imperii ac Reip. Secreta, plerumq; etiam sub mendaci  
Arcanorum nomine, Taciti interpretamento, flagitia, ) tanquam Ora-  
culum quoddam Delphicum, Pythium aut Dodoneum, commissum est.  
Nam abstrusas illas artes & arcanas imperia conservandi & ampli-  
candi rationes præter rationem usurpatas, Tacitus Eleusiniorum illo-  
rum aut mysteriorum falsorum proditor flagitia verâ & germanâ  
l. 1. Hist. voce & sensu exposuit. Nemo unquam ( ait ille ) imperium flagitio  
e. 30. questum bonis artibus exercuit. Modos verò sive artes illas compen-  
dio sic delineo: Viros bonos, doctos & Sapientes, ne quid usquam hone-  
stum occurrat, è Rep. tollere: Cives patriæ fideles proscribere, eorumq;  
bona publicare: Legum imperialium & provincialium fundamenta  
per



per summum scelus subvertere: Odia & mutuas similtates inter Ci-  
ves serere, ac inter potentiores occultas fovere factiones, in apertum  
bellum tandem erupturas, ut mutuis bellis conficiantur: Mandare fa-  
cinora, & mandata non agnoscere: Nulla fide, nulla religione teneri:  
Juramenta, fœdera, pacta pro libidine sua violare, & mille talia.  
Qualia quamplurima ac innumerabilia si opera foret, depromi possent  
ex Tabulario seu Archivario Taciti. Augustus, qui cuncta dis-  
cordiis civilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit. sublatis  
ultimis Romanorum Bruto & Cassio, & extinctis Pompejanis reliqui- lib. 1. An.  
is, ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexisset, c. 2.  
cepit paulatim insurgere, muniâ Senatus, magistratum, legum in se  
trahere, nullo adversante. Idem providentissimus Princeps, subsidia  
nova nec adhuc bonâ fide, uti subveritus, coalite dominationi suæ, in-  
tegrâ etiam dum domo suâ Augustâ, aliunde subsidia & munimenta  
adscivit. Ejus successor, ut Imperii, ita etiam arcanorum ejusdem lib. 4. An.  
sophismatum, heres, cujus facta dicta q; vice legis observavit, qui cal- c. 37.  
lidis simus simulandi & dissimulandi artifex, semper aliud dixit, aliud  
intellexit & egit, dum vim principatus sibi firmare vellet, imaginem lib. 3. An.  
veteris libertatis Senatui præbuit, postulata provinciarum ad disqui- c. 59.  
sitionem patrum mittendo. Ut itaq; invidendam hanc absolutæ do-  
minationis vim, quæ aliàs sine virtute consilii experte suâ mole corruer-  
et, & uno ictu in partes dissiliret, firmitus stabiliret, in partem cura-  
rum Ælium Sejanum, Despoti Kyrium suum, & toto caput, ut Poëta  
Satiricus acutè dixit, orbe secundum, adsumsit, qui gravissimos ejus  
labores & curas, quibus orbem terræ Romanum capesabat, in se susce-  
pit; & Atlantem suum, ac onus ejusdem Imperii, ut fortissimus Hercu-  
les sustentavit; donec mutatis in superbiam, commune Aulicæ nobili-  
tatis malum, moribus sese suosq; omnes domesticos & amicos statu suo  
deturbaret. Nam Polyhistores, qui imperiorum origines & fata  
scrutati sunt, semper observarunt, Deum, quoties magnis imperiis  
vel formandis vel firmandis instrumenta struxerit, adjutores quos-  
dam Principum hac virtute obsequendi, & auspicia Principalia propi-  
tiandi, peculiariter instruere, sive hunc affectum animis ipsorum peni-  
tius impri-



tius imprimere, quo ardui regiminis fortuna omnino carere nequit.  
Cyrus conditor ille Persicæ magnitudinis, Sybarem servum de ergastu-  
lo cujusdam Medi, à fide probatissimum, omnium suorum captorum so-  
cium, comitemq; in omnibus rebus habuit; ac ut ad summa evehendo  
major splendor & dignitas foret, eidem sororem suam in matrimonium,  
addita amplissima dote supremâ totius Persiæ præfecturâ, dedit. A-  
lexander, ut Magnus in rebus agendis, ita etiam in earundem geren-  
darum judicio & delectu, meritisimo suo dicendus, longè omnium ami-  
corum carissimum Hephæstionem habuit, cum ipso rege educatum; se-  
cretorum omnium arbitrum. Qui libertatis quoq; in admonendo  
eojus habebat; quod tamen ita usurpabat, ut magis à rege permissum,  
quam vindicatum ab eo videretur. Romanæ Reip. (quâ certè inter-  
prete Patavino nulla unquam nec major, nec sanctior, nec bonis exem-  
plis ditior fuit) admiranda illa magnitudo, tam diu prospera & funda-  
ta stetit, dum apud Quirites vera consilia valuerunt. Legantur An-  
nales, ex quibus liquidò constabit, per quos viros, quibus artibus, do-  
mi militiæq; & partum & auctum sit id imperium. Cum verò fatali  
inclinatione Resp. illa æterna, in unius Principis mortalis mentem re-  
trixem devoluta esset, nullus propè Cesarum alicujus magnitudinis &  
claritudinis exstitit, qui non illam imperii molem humeris & cervici-  
bus magnorum adjutorum suffulsisset; adeò ut exemplorum silva nobis  
foret exscindenda. Turcicum imperium, quod quidem à Soldano tanquã  
Sole uno præcipue resplendet, tamen in hoc latissimo Orientis orbe aliis  
quoq; sideribus illustratur, Veziris scil. & Bassis: qui plerumq; abrepti à  
mammis lactantium, fidei Turcicæ ceremoniis initiati, aut desertores  
Christiani nominis et religionis sunt. His adjutoribus immensa illa Tur-  
cicæ amplitudinis machina, tanquam instrumentis architectonicis, mo-  
vetur, et vitio etiam Christiani orbis disidentis promovetur. Hispanica  
magnitudo, quæ olim in multas partes divisa, vicinis non suspecta e-  
rat, nunc verò partim jure matrimonii, partim hereditario, in unum  
corpus, invita quidem & reluctabilis, non sine magnâ & multâ fido-  
rum & peritorum Ministrorum operâ, coaluit. De Francisco Xime-  
nio Cardinale, memorant Hispanicæ Historiæ, quod Ferdinando Ca-  
tholico

Justin.  
l. i. c. 7.

Franciscus  
Gomci



tholico Ximenii tam necessaria fuerint opera, quam Ximeno regis fa- in Vita  
vor & beneficentia. Idem Rex Arragoniamagnus & ultimus, quid Ximenii.  
de eodem suo Amico sentiret, his verbis memorabilibus testatus est. Cum Gomet.  
enim Ferdinandum puerum (Philippi I. filium, Maximiliani Nepo- lib. 5. in  
tem) cum Ximeno deambulanti rex Ferdinandus Avus è fenestra Vit. Xim.  
Palatii conspexisset: voce intentiori dixisse fertur: Euge Nepos tali  
Comite, à cuius latere, si quid mihi credis, nunquam discedes. Ipsa  
etiam Regina Isabella, magna Hispanorum Semiramis, tum in admi-  
nistrandis regnis & provinciis, tum occultis inter se & maritum regem  
simulatibus, ac matrimoniis liberorum ritè ineundis, ac omnibus fo-  
ris & domi curis, salubribus Ximenii consiliis & adminiculis adjuva est,  
adeò ut nihil agrius ferè, quàm ejus absentiam ferret. Quam hono-  
rificentissimè Ximenius minister à Ferdinando Domino post Isabella  
mortem exceptus fuerit, id argumento est, quod Rex digredientem il-  
lum (cum quo fermè duarum horarum spacium semotis arbitris collo-  
cutus erat) honoris causà extra cubiculum comitatus est, & cum Xi-  
menius tam insolitum & penè indecorum honorem regium deprecare-  
tur, rex etiam caput detexit, & hilari vultu eum dimisit. Quæ quidem  
licet parva & minuta, tamen à Regibus Hispaniæ subdito exhibita,  
multum momenti & admirationis secum adferunt. Quum verò ab  
Isabella excessu per furias & faces delatorum inter Ferdinandum &  
Philippum Austriacum Generum simultates in apertum bellum eru-  
ptura gliscerent, Ximenius vir robusto & incorrupto animo, omnem  
operam adhibuit, tum ad dignitatem illius teundam, nutantem Senis  
Principis animum confirmandum, tum ad reservanda Austriaci lege  
matrimoniali successuri jura. Ferdinando itaq; suator fuit, ut Viros  
aliquot spectata fidei & prudentiæ ad Philippum generum mitteret, qui  
ipsum rerum Hespericarum rationem edocerent, & cupidos rerum no-  
varum regulorum animos detegerent: qui mutua rerum similitate su-  
is commodis servire satagerent. Adolescentem adhuc rerum imperi-  
tum, nullosq; veteratores aut vafros homines adhuc expertum, multò  
tutius in Soceri tam prudentissimi Senis Principis fidem, qui horum ho-  
minum ingenia exactè nosceret, & suam ac generi majestatem commu-  
nem tueri





nem tueri nosset, credi, quàm iis pradam fieri, qui ex discordia regum,  
propinquorum incrementa rerum suarum aucuparētur. Et cum  
Philippus & Joanna Coniuges in Hispaniam venissent, nullus alius apti-  
or & fidelior visus fuit, qui controversias inter Arragonium & Au-  
striacum, Socerum & Generum, dirimeret; adeò ut ab utroq; tam bene-  
collocata opera & fidei ergò laudem aequabilem deportarit. Cum etiam  
Philipp. Austriaco in ipso flore aetatis et suscepti Castellani regni auspicio,  
ut herba solstitialis, praecepto, cum publico totius Hispaniae luctu & mœ-  
rore occiderit, in agone Principis, Proceres Castellani subito hoc morta-  
litate insperata casu percussi in domo Ximenii consultarunt, penes quem  
post mortem Philippi summa rerum esset, quandoquidem Joanna pa-  
rum mentis compos, & Carolus Princeps nondum puer sexennis, & im-  
perii nondum capax esset: atq; in eodem privato conventu, cum is et Pro-  
ceribus & Populo aequè gratus, ac nullis propinquitatis aut affinitatum  
necessitudinibus obnoxius, & subinde morum sanctimoniâ, prudentia  
& usu rerum patriæ, atq; auctoritatis præsidio niteretur, unus ille Xi-  
menius ex omni optimatum & regulorum numero, reginæ custos, Ca-  
roliq; pueri protector, Comite Stabuli, & Najarensium Duce, quâdam  
Triumviratûs specie, in communionem consiliorum assumptis, designa-  
tus est. Sed ab excessu Philippi indictis Comitibus, abrogatâ Trium-  
virali potestate temporariâ, perpetua uni Ximenio Purpuratorum  
Hispanicorum Principi ab amplissima regni Curia, orbe Reip. tutela &  
curatela commissa est. Qui licet, pro summa aetate, & valetudine tot ex-  
antlatis per tot annos patriæ laboribus attritâ, hoc onus, quasi ei feren-  
do nutantes humeri & vacillantes non pares forent, detrectaret; ta-  
men instante toto Regni Castellani Senatu, tandem annuit, & suaden-  
tes tamen admonuit, ut prius expenderent an publicè expediret, se enim  
nullâ adeò arctâ necessitudine aut amicitia cuiquam hominum obstrin-  
gi, ut veri & æqui rationem non sit semper potiorem habiturus. Ca-  
rolus etiam adolescens, qui postea Imp. nomenclatione V. cum matre  
adhuc superstite, in Hispaniam, invidiosa Procerum & Ministrorum  
Belgicorum multitudine stipatus, appulisset, Ximenius regi novello &  
legitimo Heredi adventanti Hispaniam tranquillam, occultis quidem  
nonnullis



nonnullis motibus ebullientem, tamen sub gyro obsequii retentam, tradi-  
didit, (quem praelato Ferdinando Fratre Infante nonnulli Hispanorum  
seponere maluissent,) ipsi quoque jura primogeniturae sarta & tecta retinere  
annus est, atque eundem consiliis necessariis in auspicio regni instruxif-  
set, nisi Belgae aditum Seni praclusissent, aut fato praeventus in reliquis  
agendis impeditus fuisset. Quam bene autem hic Eminentissimus  
proavorum nostrorum memoriae Cardinalis, apud suos & illo quidem se-  
culo, Sacra cum profanis, Pietatem cum Jusitia, Justitiam cum Ae-  
quitate conjunxerit, plena sunt omnia Hispanicorum Annalium docu-  
menta. Unde ejus sepulchri fronti superscriptum hoc Epigramma Jo-  
hannis Vergatae, juvenilis quidem argutiae, sed probi sensus tale:

Condideram Musis Franciscus grande Lycæum,

Condor in exiguo nunc ego sarcophago.

Prætextam junxi sacco, galeamque galero,

Frater, Dux, Præsul, Cardineusque Pater.

Quin virtute meam junctum est diadema cucullo,

Cum mihi regnanti paruit Hesperia.

Hujus Hispanici Status Ministri præcipua belli & pacis consilia ac opera  
ideò altius ex Historia illius gentis repetere volui, ut esset Speculum ali-  
is ad imitandum, & nobis ad intelligendum, quoniam charactere ejus-  
modi maximus Administer, qui in Regum gratiam, Procerum favore,  
& Popularis aurâ consensescere & civili evadaciam, quæ paucis viris  
magnis contingit, emori cupit, eluceat. Hoc miraculi loco accipien-  
dum, quod hujus suasoria & gubernatoria navis, neque ad vada contu-  
maciæ, discordiæ, aut affectuum obhasit, neque scopulis nimie sui fidu-  
ciæ, cupiditatis, celeritatis, & præcipitantiæ consiliorum, allisit, aut  
se fregit. Usus verò est artificio singulari, quod se suam, non diversorum  
naturam, atate & judicio, Regum suorum, fortunam mensus fuerit, sine  
jactantiâ omnia egerit; atque nno verbo Luna fuerit, & omne gloriæ suæ  
lumen tribus illis celi Hispanici Solibus, Ferdinando Arragonio, Phi-  
lippo & Carolo Austriacis, refuderit. Benignum quidem Arragonicam  
& austriacam Clementiam est elementum; quia Austriaci, præcone Lipsio  
Augustalis hujus Domus familiari, patientes ministrorum suorum, &



ad extremum mites; tamen illud ipsum contractis malis inferiorum  
vaporibus deseravit, ut nubila, nimbi, calamitosa grandines, & to-  
nitrua in tale quid meritos, qui fortunam suam cum Tantalo illo Pin-  
darico concoquere non potuerunt, nonnunquam deseruerunt. Sed hoc  
temperamento illi Principes plerumque usi sunt, ut in offensam & exigua  
gratia illos delitescere sicut. Eiusmodi fallendi nidulus obtigit Al-  
fonso Albuquerque, qui plerumque India Orientalis Emanueli Lusitaniae  
Regi suo subiecerat: at cum accusatus majoris spei, & suspectus denique,  
revocatus in patriam est, & morte oportuna fortasse ignominie exem-  
tus. Simile quid in Duarte Pacieco; qui post magna merita, in custo-  
diam & vincula etiam coniectus fuit, & in clara innocentia liberatus,  
sed ut in secessu quodam pauperculus falleret, & ita consenesceret. Fer-  
dinandus Consalvus, cuius fortissimo ductui Ferdinandus Catholicus  
a Francis extortum Neapolitanum regnum debebat, gratia ad postre-  
mum regiam excidit, quia nimia beneficii magnitudo ostentata, cui re-  
ges dolent & nolunt obstringi. Quantum invidia Ferdinando Al-  
bano Antverpiæ erecta Statua creavit, incorruptæ Fidei scriptor Fami-  
anus Strada pro me dicat: Nec alia crebrior (ait) sermonis materia in  
Regis aula; iridente in primis Roderico Gomesio, veteri amulo, fidelis-  
sime appellationem Ministri, nempe qui gloriam Principi suo debitam  
interverteret, adeoque transferret. Tam itaque est difficile, cense-  
prudentia filio Equite Comineo, in omni genere Vitæ sic se gerere, ne  
impingas: magnum est Dei donum, valere sensu communi, & iudicio  
naturali. Præter modestiam alterum remedium est, si quis fama &  
fortuna secundanti tempestive ceserit. Plutarchus id sapienter in Lu-  
cullio monuit dicens: Esse et politici cursus finem quendam et terminum.  
Nec minus Civilia certamina, quam athletica, vigore & tempore de-  
stituta, vituperari & coargui. Eiusmodi prudentes Status Ministri  
imitari solent cautos aleatores, qui magnam nummorum summam ante  
se congestam lucrati plurimum horarum ludo, veriti fortunæ alterantis  
aleam, retrahunt oportune manum, neque se partito illo cumulo honorum  
& gloriæ exui, jactu videlicet uno, patiuntur. Ultimum remedi-  
um diuturnitatis in directorio Status est oportuna illa Augusto etiam  
illi

Lips.

Not. ad

lib. 3. Po

lit. c. ult.



illi magnoperè expetita ἐὺδρασία, quando in medio honorum curri-  
culo Minister rebus humanis supplantatus, futuris tempestatibus, qui-  
bus obnoxius fato fieri possit, subducitur. Quod sanè nunquam satis  
laudato Ximenio inastimabilis præmii loco calitus demissum est; cum  
sub prima Auspiciâ adventantis Caroli Adolescentis in Hispaniam, am-  
bientibus principatum præ Hispanico Senatu Belgis, reniteretur & dis-  
suaderet Ximenius: cuius nimia vivacitate advenæ illi & peregrini ho-  
spites offendebantur, unde repulsam, nempe validissimum mentis quan-  
tumlibet constantis arietem, ut ipsi interpretabantur, occultis cunicu-  
lis apud Carolum Regem illi struxerunt; sed structas illas insidias mors,  
ut dixi, oportuna destruxit. Ximenio ab eo tempore in hac Domo pro-  
ximus stetit Antonius Perenotus Granvella Dominus, Cardinalis, Ma-  
ximus Caroli V. Imp. & Philippi II. Regis Hispaniarum Status Mini-  
ster, qui variarum linguarum exactâ notitiâ & facundiâ planè auli-  
câ & augustâ, ac summa rerum gerendarum dexteritate cum pari fi-  
de, principibus apprimè placuit: de quo Famianus Strada, Histori- lib. 9.  
cus nostrâ etate celeberrimus, hoc notabile prodidit Elogium: Vir eo Belg. Hi-  
maximè nomine familiaribus & continuis Principum observandus, stor.  
quod absq; adulationis tormento, quadraginta circiter annos incorru-  
ptâ fide arcem obtinuerit principalis aula: ex eâq; semel ejectus, ab eo  
casu, longius quàm ante proceserit. Quippe nactus Principem, apud  
quem libertatem, & gratiam, rarâ felicitate, ad extremum usq; te-  
nere licuerit. Sed in eo Granvellanus Ximenio illi dispar fuit, quod  
ille Principibus semel reconciliatus, alter verò nunquam: ille potenti-  
am & gratiam multâ cum invidiâ Hispanorum præteritorum nactus  
est, alter invitus ab unanimi Senatus Hispanici & Procerum iudicio,  
& communi Populorum voto & acclamatione suscepit; ille insidiis non  
semel à Populo, cui valdè exosus fuit, petitus, vix periculum vitæ eva-  
sit, alter verò inter manus Procerum Hispaniæ, ob adventum Caroli  
Principis inaugurandi congregatorum, tuto vixit, & optimè de Im-  
perio Hispanico meritam animam Deo suo, cui omnem suam fortunam  
vivus adscripsit, resignavit. Philippus III. maximæ auctoritatis &  
potestatis ministrum Ducem Lermæum creavit: quod indignè Prin-  
cipes



*cipes Hispania tulerunt, dictitantis communem patriæ Solem duobus tantum oculis adlucere, fontemq; illum largifluum aquas ad unum tantum hominem reficiendum spargere. Madriti Pasquillus quidam statuam erexit, quæ globum orbis gestabat, & medietatem illius in Philippi humerum deponebat cum subscriptione:*  
*Divisum Imperium cum Jove Caesar habet.*  
*Rex etiam literas signatas cum hac Epigraphe à deambulatione reversus legit: Philippo III. Regi Hispaniæ, nunc in servitio Ducis de Lerma existenti. Hujus Filius, qui nunc rerum potitur, Comitem Olivarem ad tantum culmen, minore tamen cum invidia procerum aliorum, evexit: sed cui in motibus Lusitaniæ non citius obfactis socordia, negligentia, & frigiditatis crimen à nonnullis imputum; unde eo nomine ab aulâ & Regis oculis semotum oportuna mors non ita pridem intercepta. In Germaniâ imperante Divo MATTHIA Melchior Cleselius Cardinalis omnium arcanorum Imperatoriæ Majestatis particeps & arbiter fuit: sed cum Politicus ille Sophistæ nimium Austriacæ Domûs arcana, ultra quam licitum erat, tentare, conatus, ac metus esset, ne evulgarentur: atq; æterna domûs fœdera & pacta dirumpere visus esset, a Rege Ferdinando, Maximiliano Archiduce, consentiente Imperatore, ab aulâ Romam relegatus est. Ferdinandus II. ut Auctor Regiminis Ferdinandici recenset, in suis territoriis tres aureos montes coluit, Eggenbergium, perpetuum Nestorem suum, Verdenbergium, & Questenbergium: ac in suis Coronis & Sceptris tres preciosos lapides fovit, Walensteinium, Dietrichsteinium Cardinalem, & Lichtensteinium Pragæ Prefectum. In Gallia à multis retrò Seculis nullus majoris auctoritatis & absolutioris potestatis Minister exstitit, quam superioribus annis regnante LUDOVICO XIII. Johannes Armandus Plesseus Cardinalis Richelius cui Rex omnia pacis & belli consilia ac commercia unâ credidit, & ab eodem moriente, Rationarium rerum gerendarum suscepit, eiq; ex ejusdem postulato suffecit Creaturam Richelianam Cardinalem Mazarinum, qui res hæctenus domi & foris dextrè disposuit, & feliciter direxit. Sed manum de Tabulâ. Reliqua quæ de Principum*



Principum Gratosus, & Aulicis restant, in aliam commodiorem dis-  
rendi occasionem suspendo. Paucis saltem de VIII. Adolescentibus &  
VIII. pueris in Scenam Oratoriam producendis aliquid nunc addam.

Adolescentum Primus Ministrum Status ex mente I.  
Barclaji definiet: quod apud Principem suum sit gratio-  
sus & potens, fide probatus, rerum hominumq; peritus,  
salutaria pace & bello suggerens, Principem primo, de-  
inde se ditans & magnificans. Secundus characteres II.  
nonnullos Ministri Status ex Barclaji Icone Animorum  
erutos proponet: quo artificio ille vim potentiae & gra-  
tia ad se attrahat; suae tamen plerumq; rei potius quam  
Principis & Reip. studiosus, fructum ambitiosae suae di-  
gnitatis in aemulis & invidis sibi obnoxiiis hilari vultu  
aspectans, liberalitatem exercens erga egenos, & inge-  
nia dicendis suis virtutibus aut tacendis vitiis, obsequiosa.  
Tertius Declamator Amicos intimae admissionis, solo for- III.  
tunae beneficio, non virtutis praesidio emergentes, explica-  
bit: quorum proprium esse dicet, conciliare sibi animos  
hominum, & ad usus suos adjungere: deinde variare,  
pro variantis principis ingenio, exemplo Mecanatis, &  
Pisonis, ocia & negocia, vitia & virtutes miscere: su-  
percilio uti interdum in ipsum Principem, sed modicam ta-  
men non longam contumacia: deniq; sapere & desipere suo  
tempore & loco, & se rebus ac hominibus posse aptare.  
Quartus Characteres ejusmodi Gratosi Amici principa- IV.  
lis proponet: quod maxima ejus sit virtus Principem su-  
um nosse; deinde vim retinere perpetuae gratiae & favo-  
ris, si modica cupiat, nec Principis liberalitatem fatiget:  
C si obsequii



- si obsequii gloria contentus, modesto sui sensu, ore, & cultu emineat: & domino suo in artibus & exercitiis, quibus oblectatur, dissimulatâ suâ excellentiâ vinci se patiat: ac ita cum quadam nativâ Gratiâ & Venere sese insinuet.
- V. Quintus de Vitandis Consiliariorum nominatim Contumacia abruptâ, Discordiâ Collegarum, Affectibus, tanquam vadis aget, ad quæ non semel suavioria illaratis obhæsit.
- VI. Sextum occupabunt Scopuli, & quædam Acroceraunia, videlicet nimia sui fiducia, cupiditates & celeritates, quibus non semel navis consultoria illisit, aut se fregit.
- VII. Sextus inquiret, quomodo se ex Lipsii præscripto Princeps ipse in audiendis consiliis gerere debeat: si nimirum maturè & tempestivè deliberet: cum iudicio sententias consulentium audiat, & postea quid factò opus sit, ipse decernat: sententiam suam celet: libertatem sentiendi & dicendi admittat, nec byssinis aulæ verbis delectetur: deniq; nec præmia nec penas deliberantibus destinet.
- VIII. Octavus & Ultimus paucula subjiciet, quomodo Princeps occulta & Aulica consilia spernere debeat: exemplo optimi Principis Trajani, qui quidem suum libertis suis honorem, sed tanquam libertis, habuerit. Siquidem ejusmodi Aulæ mancipia, consilii copiam per pravam prudentiam & calliditatem sibi præsumunt, & tanquam Placentini & Laudenses, non Veronenses, placita, & meras rosas excussis spinis loqui solent. Ac, quod præcipuum est, Principem dehonestant: si quidem, teste Plinio, præcipuum est indicium



indiciū non magni Principis, magni liberti: à quibus  
sepe bonus, cautus, & optimus Imperator venditur. Nam  
teste Patavino scriptore, vana, ut ad ceteram fidem, sic <sup>lib. 34</sup>  
ad secreta tegenda, satellitum regionum sunt ingenia. <sup>c. 35.</sup>  
Adolescentibus succenturiati octo pueri, exempla infeliciū  
quorundam Ministrorum Status, vetera & novitia poë-  
matis expressa, recitabunt. Primus Apellem in aulā Phi- <sup>I.</sup>  
lippi Macedonis olim potentem, referet, qui iisdem cuni-  
culis, quibus Aratum ejusdem Aulae ministrum subverte-  
re cogitarat, se subvertit. Secundus Sejanum, qui diu in <sup>II.</sup>  
Tiberii Augusti aula & amicitia potens, & ad instar ipsi <sup>Lipf. in</sup>  
us Cæsaris status, & honoribus cultus: tandem unā epi- <sup>Not. ad</sup>  
stolā subversus est, & caput illud, ut cum Poëta Satirico <sup>c. ult.</sup>  
dicam, toto orbe secundum laqueo, & cadauer suum op- <sup>lib. 3.</sup>  
probriis, lacerationi, & unco præbuit. Tertius <sup>III.</sup>  
Carolū Carafam Card. & Johannem ejus fra-  
trem Paliani Ducem, Pauli Quarti, Pont. Max. Ne-  
potes, reos læsæ majestatis, quos Pius IV. Caroli & Al-  
fonsi Cardinalium Caraffarum operâ ad Sedis Petri-  
næ culmen evectus, è medio sustulit, in scenam adfert.  
Quartus Concinum ex Hetruria oriundum depinget, qui <sup>IV.</sup>  
ab Henrico IV. Marchio Ancreus, & ab ejus filio Lu-  
dovico XIII. Primus Cubiculariorum, Peronæ &  
Ambiano Præfectus, Marschallus, Sanctioris Con-  
silio Præses, Par Curia & Dux Franciæ per intervalla  
creatus, sed cum Principes regii sanguinis variis calamita-  
tibus, in primis Condæum carcere diuturno, affligeret, &



*Regis infantiam puerili castigatione despectaret, à fortuna vitrea pullo Vitrio Prætorianorum militum Præfecto multis vulneribus jussu regis confosus, & à populo frustillatim discerptus interit. Quintus Alvarum Lunam Joannis Castellæ Regis delictum, explantabit: qui amicos supra omnes præpotens, opibus, præfecturis, cottidiè auctus, regem ita suum fecerat, ut vel bellum ejus causâ gereret cum vicinis regibus & cognatis: sed cum ebrius fortunâ, & Lunaticus esse inciperet, nec Soli suo; ut Luna, Regi omne gloriæ suæ lumen refunderet, honorum, vitæ & existimationis suæ ac omnium bonorum eclipsin insperatò passus est: qui sibi verè prædixerat, ad in-  
VI. tempestivos fortunæ suæ præcones; Improvidi, ne ædificium ante finem operis laudaveritis. A Sexto Thomas Wolsæus incomparabilis ambitionis & superbiæ homo exhibebitur. Hunc enim Ianionis filium, Henricus VIII. Wintoniæ Episcopum, & Eboracensem Archiepiscopum, Clemens VII. PP. Regis operâ Cardinalem fecerat: sed cum divortium Regi cum Catharinâ Hispanâ calido consilio suavisset, & negotium tractatu durius, quam speraverat initio, in Consistorio Pontificio, magis magisque in dies fieret, et evētū tandem tristissimum evaderet, occulto Regis odio laborare cœpit: donec tandem jussu illius, ministeriq; Thomæ Howardi, captivus, depositis mitrâ & Pallio Cardinalitio, cum in conspectum Londinum devehendus esset, inter vias præ marore ani-*

*mi Leicestriæ*



mi Leicestriae exspirans, ibi exiguum & praevia magnitudine & splendore longè indignum tumulum nactus est; id sibi lucri deputans, quod oportunâ morte ludibrio populi Londinensi interceptus fuit. VII. Septimus Johannem Oldenbarneveldium exhibebit: qui Curiae Haganae Fœderatorum Belgii Ordinum Advocatus, multis legationibus, et pactis Induciis duodecennialibus clarus, obliquus ideò Mauritio Auraco Principi et ejus amicis factus, reus majestatis insimilatus, quasi novandi statum in sacris & profanis consilia clandestina agitasset, ac Hispano quædam tacenda Fœderati Belgii secreta prodidisset, & alia contra leges patriæ fundamentales patrasset, septuagenario major capite plexus est. VIII. Octavus & Ultimus Puerorum Alberti W alensteinii ortum, fata, incomparabiles honores, beneficia à Cæsare Ferdin. II. accepta, merita ergà Domum Austriacam, mutatum animum, ambitus crimen, fatalem exitum, & tragicam catastrophem, summatim recenset. Hæc est Sciographia desultoria totius nostri Actus Oratorii. Quamobrem, Lector cordatissime, vel argumenti altitudine & nobilitate captus, ut, quantum per negotia publica aut privata tibi expedienda licebit ad audiendum confluas, oro, nec te deterreri sinas, quod ab Adolescentibus & Pueris tanquam graculis, tam alta & nonnisi sublimibus Virorum peritissimorum ingeniis argumenta tractanda, blaterentur & garriantur. Quemadmodum nutrices suos infantes serperastris ad



protollendos pedes includunt, donec firmitus altiusq; pedem  
figerè didicerint : ita ego totam illam doctrinam Politi-  
cam ex fonte historiarum collectam & derivatam, animis  
& linguis Juventutis quantum potui instillavi, donec il-  
la hoc facto periculo aliquando, ubi iudicium cum etate  
convenerit, proprio Marte per viridaria talia inambu-  
lare calluerit. Vale prudentissime Lector, & reli-  
qua de Aulicis post aliquot mensium intervallum cum bo-  
no Deo à me expecta. P. P. IV. Kal, Xbr. A. C.  
clo. lxx XLVI.

Series





## Series Personarum & materierum.

### *Adolescentes dicent:*

1. Casp. Pasfelius Olsn. de definiendo Ministro Statûs.
2. Casp. Henricus Budisf. de Characteribus ejus Ministri.
3. Jacob. Schefrichius Olsn. de Amico præpotente & Gratiofo.
4. Christianus Buckisius Carnoviens. de Cautelis Amico Principis observandis.
5. Joh. Jacob. Crusius Landsbutan. de vitandis Confiliorum vadis.
6. Ernestus Frider. Heinnitz. Olsn. de Scopulis Confiliario vitandis.
7. Andreas Gürsnerus Vrat. quomodo Princeps in audiendis confiliis ipse se gerat.
8. Godefridus Neumannus Vrat de spernendis occultis Aulae Confiliis.

### *Pueri exempla infelicitum*

*Status Ministrorum versibus comprehensa recitabunt.*

1. Carol. Sigismundus à Reichel, Apellis.
2. Joh. Sigismundus ab Hauld, Sejani.
3. Adamus Casp. ab Artzat, Caroli Caraffæ Cardinal.
4. Donatus Fritsch, Marchionis Ancrei.
5. Henricus Vollgnad, Alvari Lunæ.
6. Matthæus Riedel, Thomæ Wolfæi Cardinalis.
7. Christianus Umminger, Johann. Oldenbarnefeld.
8. Johannes Albertus, Alberti Wallensteinii.



Series of names at the top of the page, likely a title or header.

Main body of text, appearing as a list or index of names and titles, possibly in Latin or German, arranged in two columns.





Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3  
002 686 287



Sb,


VD17  
Sep. 2000 Pd.











B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

IUS  
Ministorum,  
Gratiosorum,  
orum,  
LAI Icone,  
I Politicis,  
atus;  
rio & Poëtico,  
s & VIII. Pueris,  
al. Xbres  
XLVI.  
viens, Elisabetano  
dus;  
tore  
O COLERO  
rofesfore.  
e BAUMANNO.

80

